Jahresbericht

über das

Königliche Katholische Gymnasium

in

Deutsch-Crone

in dem Schuljahre 1873—1874,

mit welchem

zu der öffentlichen Prüfung am 31. Juli

und

zu den Schlußfeierlichkeiten am 1. August

ergebenst einladet

der Director des Gymnasiums

Professor A. Lowiński,

Ritter des Rothen Adler-Ordens IV. Klasse.

NEUE FOLGE.

Nro. XIX.

Deutsch-Crone,
Druck von F. Garms.
1874.

De medio Latino,

quale apud Plautum inveniatur.

Pars prima.

„Recordatus sum multum et diu cogitavi
Argumentaque in pectus multa institui“,

num ea litteris mandarem, quae mihi de verbi genere, quod medium vocamus, dicenda esse videntur, quum ea prolaturus sim, quae a communi hominum harum rerum peritorum sententia prorsus abhorreant.

Animum enim induxi demonstrare, illud genus verbi Latini, quod fere omnes „deponens“ vocare consuevimus, genus medium esse, neque illud quidem a medio Graeco dirimendum.

Sane magna molior, sed unum atque illud quidem gravissimum judicium Lehrsii, viri optimi ac candidissimi, praeceptoris mei venerandissimi me sustentat. Hic enim vir talium rerum peritissimus in schola, quam de medio Graeco habuit, luculentissime comprobavit, genus medium verbi Graeci comparandum esse cum eo genere verbi Latini, quod deponens dicimus.

Atque jam pridem mirum visum est, quod, quum linguae Sanscritae, Gothicae, Graecae verbi genus medium tribuatur, idem linguae Latinae abrogemus atque hoc quidem eo tempore, quo, adjuti eorum virorum studiis, qui operam suam in comparandis Ariorum linguis collocant, debebamus intellexisse, cum alias tum linguas Graecam Latinamque arto cognationis vinculo inter se conjunctas esse.

Quod cur antea factum sit atque etiam nunc fere fiat, non difficile videtur ad intelligendum.

Plurima enim verba Graeca, quae formam mediam habent, etiam formis activa vel passiva conformata inveniuntur, verum ita quidem, ut sua cuique formae significatio servetur integra; verba Latina autem mediam a passiva significationem formâ non segregant. Itaque si formae solum spectantur, duo modo genera verbi activum et passivum habentur; neque illud fere animo obversatur, formâ passivâ et passivam et mediam significationem reddi posse.

Mediam autem significationem re vera forma passiva redditam esse, ex verbis **vehendi**, **ferendi**, **movendi**, aliis non difficile intelligitur.

Quod vero ad formam mediam attinet, vel ex lingua Sanscrita intelligimus, passivam et mediam formas similibus quibusdam voculis suffixis disjunctas quidem, attamem quodammodo quasi

conjunctas fuisse. Lingua Graeca in aoristo saltem mediam a passiva forma segregabat, Latina quum alterutram formam abjecisset, passiva forma (quam vocamus) uti consuevit, qua notionem mediam redderet. Attamen abjecta forma etiam notionem mediam abjectam esse, persuadere mihi non possum, quanquam haud abnuerim fateri, populum Romanum vel eo tempore, quo lingua vigeret, innato potius linguae ingenio commotum, quam rei ipsius scientia ductum, notionem mediam in passiva verborum forma servavisse.

Itaque factum est ut homines grammatici, quum consenescentis linguae tempore ejus verborum copiam in partes describerent, formis decepti de activa et passiva modo notione verbi cogitarent atque hanc ob rem ea verba, quae lingua ob notionem insitam mediam (quum mediâ formâ effingere ob linguae egestatem non liceret) passiva reddere consueverat, pro passivis ducerent, at talibus quidem, quae significationem passivam deposuissent. Deinde quum a formis solum verborum proficiscerentur, itidem videtur factum esse, ut, si quae verba deponentia, nulla activae significationis immutatione facta, interdum forma activa uti cognoscerent, hoc linguae inconstantia potius quam licentia evenisse arbitrarentur. Sin vero congestis illis verbis omnibus de singulorum sensu paulo accuratius cogitavissent, haud difficulter, opinor, intellexissent, partem tantum eorum et originis et significationis natura certis finibus circumscriptam, hanc licentiam suo sibi jure assumpsisse.

Hujus autem libelli argumentum erit, verborum, quae dicuntur, deponentium notionem mediam indicare.

Igitur primum de ipsa notione media dicamus necesse est. Proficiscimur autem in hac re explicanda a formis verbi arbitramurque simili formae etiam similem notionem subesse. Ac quum intellexerimus, in linguis Sanscrita et Graeca mediam et passivam formas verbi velut cognatione cohaerere, etiam notiones mediam et passivam affinitate quadam conjunctas esse existimabimus.

Haec habui, quæ praefarer.

Jam igitur vertamur ad explicandas trium generum verbi notiones.

Genus activum in duos ordines disjungitur, in verba intransitia et transitiva. Verbum intransitivum denotat statum, in quo subjectum sit; verbum transitivum significat vim vel impulsum quendam, qui in objectum fiat.

Genus passivum significat impulsum, quo subjectum ab altera quadam re vel persona (quam ab ipso subjecto cogitamus disjunctam) afficiatur.

Atque in his quidem duobus generibus verbi definiendis omnes fere consentiunt. In notione media autem explicanda illustrandaque ante Krügerum, eum, qui grammaticam Graecam scripsit, et Lehrsium valde, opinor, peccatum est.

At priusquam hujus sententiam enarrem, operae pretium videtur esse, etiam aliorum sententias cum de generibus activo et passivo, tum de genere medio afferre.

Nach der gewöhnlichen Annahme, ait H. C. von der Gabelentz (Abhandl. der Königlich sächs. Gesellschaft der Wissenschaften VIII. 1861 S. 455) drückt jedes Verbum entweder eine Beschaffenheit oder eine Handlung aus: Neutrum oder Activum. Allein richtiger scheint mir die Annahme Beckers (Organismus S. 83), wonach alle Wurzelbegriffe (Verbalbegriffe) Begriffe von Thätigkeiten sind. Auch die Begriffe von Zuständen der Ruhe oder Unthätigkeit wie: stehn, sitzen, liegen, schlafen, müssen ihm zufolge im Gegensatz zu dem Begriffe des Seins als Thätigkeits-Begriffe aufgefasst werden. Wir können hinzusetzen, dass auch ganz neutrale Begriffe wie: grünen, verbleichen, duften als auf unsere Sinne eine Wirkung äussernd im Verbum thätig dargestellt sind.

Die Thätigkeit aber beschränkt sich entweder auf das Subjekt: intransitivum; oder sie erstreckt sich auf einen Gegenstand: transitivum; man kann jedoch im letzteren Falle die Handlung auch auf das Subjekt des Satzes sich beziehend darstellen, und zwar insofern die Thätigkeit von dem Subjekte aus und auf dasselbe zurückgeht: reflexivum oder medium; oder insofern das Subjekt die Thätigkeit einer andern Person oder Sache an sich erfährt: passivum.

Deinde (pag. 458): Allerdings muss angenommen werden, dass auch beim Passivum das Subjekt als wirkliches Subjekt, nicht als Objekt der Handlung gelten soll, denn sonst würde man keinen Grund einsehen, warum die aktive Redeweise mit der passiven vertauscht ist —; es muss also unzweifelhaft die Anschauungsweise des Sprechenden den Grund abgegeben haben, dass das eigentliche Objekt der Handlung doch als Subjekt dargestellt worden ist. *Dies ist aber nur dann möglich, wenn auch beim Passivum das Subjekt als in gewisser Beziehung aktiv gedacht worden ist.*

Ac recte hoc quidem.

Tum (pag. 460): Medium und Passivum haben das mit einander gemein, dass in beiden das Subjekt des Verbums zugleich der Gegenstand ist, auf welchen sich die Handlung bezieht. Ebenso wie neutrum und passivum in der Bedeutung zusammenfallen, und wie man für: „er wird genannt“, sagt: „er heisst“, so sagt man auch in gleichem Sinne: „er nennt sich“.

Medio igitur generi verbi significationem reflexivam assumere videtur.

Denique (eodem folio): Wenn man in dem Passivum nur den Ausdruck des Leidens findet, dann ist es konsequent zu sagen: das Passivum begreift auch den Fall in sich, da die Handlung, welche ich leide, von mir selbst verübt wird, und die passive Form heisst dann das Medium; dann ist es auch richtig, dass das Medium am spätesten und zwar aus dem Passivum entstanden ist. Allein da wir oben gesehen haben, dass auch beim Passivum ursprünglich das Subjekt des Verbums wirklich als Subjekt der Handlung betrachtet worden ist, so müssen wir uns der entgegengesetzten von Becker und Bopp adoptirten Ansicht zuwenden. Sie ist jedenfalls die einleuchtendste und natürlichste. Den in dem Selbstbewustsein des menschlichen Geistes haftenden Gegensatz zwischen dem Ich und Nicht-Ich auch in der Sprache auszudrücken, lag jedenfalls sehr nahe.

Ebenso natürlich ist es, dass der sprachbildende Geist den Unterschied zwischen: ich schlage mich, und: ich schlage einen andern, eher auszudrücken versuchte, als das Bedürfniss eines Passivums bei ihm entstehen konnte. War aber einmal die Form des Mediums gefunden, dann lag das Uebertragen der passiven Bedeutung auf dieselbe sehr nahe.

Atque etiam Hermannus Müller in dissertatione sua, quam „de generibus verbi“ inscripsit (p. 58) locum quendam ex dissertatione Noeltingii cujusdam desumptum affert, cujus verba haec sunt:

Die logische Abstraktion eines Passivs, wie wir sie uns infolge unserer grammatischen Studien in der Jugend bilden, musste den Alten fremd sein, sicherlich in der Zeit, wo es bei ihnen noch keine Reflexionen über die Sprache gab, wo sich noch in ungeschwächter Kraft der jedem Volke innewohnende Trieb geltend machte, die ganze Welt der Erscheinungen ausser sich der eigenen Natur anzunähern und sie eben dadurch zu begreifen, jedes Ding als beseelt und mit eigenem Willen begabt aufzufassen — et q. s.

Atque Gabelentzius, opinor, indicavit, se notiones passivam et mediam cognatione conjunctas esse arbitrari.

At primum vereor, ne illud parum accurate dictum sit, quod formam mediam extemplo notionis passivae partes suscepisse opinetur, quum in linguis Sanscrita et Graeca activam, passi-

vam, mediam et formas et notiones verbi simul inveniamus usurpatas. Passivam autem formam et notionem ex media demum forma et notione oriundas esse, sine ulla dubitatione confirmaverim, nam testes sunt aoristi verbi Graeci, quorum illi quidem activi et medii generis magis principalem formam perhibent, quam aoristus passivi generis.

Deinde non videor mihi intelligere posse, quomodo Gabelentzius ex significatione simpliciter reflexiva, quam medio tribuit, significationem passivam velit derivari.

Contra Lehrsius generis medii notionem aperit hoc modo:

Wenn das verbum transitivum eine Einwirkung in oder auf ein Objekt ausdrückt; das verbum intransitivum den Zustand, worin ein Subjekt ist; das passivum die Einwirkung, welche ein Gegenstand von einem andern, von ihm getrennt gedachten, erfährt, so drückt das medium aus:

Eine Einwirkung, unter der ein Subjekt sich empfindet oder wenigstens befindet oder sich befindend wahrgenommen wird, ohne dass eine äussere Ursache, von der es diese Einwirkung leidet, ins Auge gefasst wird, vielleicht nicht vorhanden ist.

Dies geschieht sehr natürlich bei heftigen anormalen Thätigkeiten; äussern oder innern Veränderungen; thätigen oder leidenden Affektionen, die das Subjekt nicht sowohl durch einen äussern, bestimmt ins Auge gefassten Anstoss oder Anstossenden erfährt, oder die es an sich selbst bewusst vornimmt; als vielmehr, die es an sich vielleicht durch einen blossen innern Drang erfährt.

Cujus sententiae summa haec videtur esse:

Censet Lehrsius generis medii notionem in primis notione ejus affectus plus minusve fortis contineri, qui in ipso subjecto fiat et versetur quique objectum non desideret, quod attingat impellatve (dass der Medialbegriff und zwar der des pathischen Mediums, welchen wir hier zuerst behandeln, in dem Begriffe einer innerhalb der Gränzen des Subjekts sich vollziehenden mehr oder minder leidenschaftlichen Thätigkeit bestehe, die von einer Einwirkung aufs Objekt abstrahire.)

Atque idem censet generis medii et passivi notiones cognatione cohaerere, id quod idem censet Gabelentzius.

Verum Lehrsius genus passivum a medio disjungit hoc modo:

Censet enim generis passivi notione contineri eum impulsum, quo subjectum ab altera quadam re vel persona, (quae a subjecto ipso cogitatur disjuncta) afficiatur: generis medii notionem amplecti eum affectum, quem subjectum patiatur, quo afficiatur; qui aut in ipso oriatur, sit, versetur, aut qui in subjecto oriens, ortus, versans aliis cernatur, non ratione habita ullius causae, ullius impulsus extrinsecus adorientis, unde subjectum afficiatur.

Ac quum Gabelentzius recte dicat, etiam in genere passivo subjectum aliquo modo agens esse cogitatum cogitandumque, utrumque genus etiam hoc modo inter se disjungi potest definiendo: Genus medium denotare actum atque affectum, quem subjectum patiatur, qui aut in ejus animo vel corpore oriatur, sit; aut qui in eo oriens vel exstans aliis cernatur, non habita ratione ullius causae extrinsecus adorientis, (quae causa ne exstet quidem) qua ille actus atque affectus efficiatur: genus passivum item subjecti actum atque affectum sed eum, qui impulsu quodam efficiatur rei vel personae alicujus, quam a subjecto cogitamus disjunctam.

Quod autem ait Gabelentzius: Medium und Passivum haben das mit einander gemein, dass in beiden das Subjekt des Verbums zugleich der Gegenstand ist, auf welchen sich die Handlung bezieht, parum recte dixisse videtur, quum genus medium significationem simpliciter reflexivam non habeat.

Nos autem Lehrsii rationem definiendi tuentes in animum induximus hujus sententiam exponere, a Gabelentzio secedere.

Ac primum Gabelentzius: Ebenso wie neutrum, inquit, und passivum, so kann auch medium und passivum in der Bedeutung zusammenfallen, und wie man für: er wird genannt, sagt: er heisst, so sagt man auch im gleichen Sinne: er nennt sich.

Verum haec, opinor, non recta sunt. Nam praeterquam quod verbum neutrum: er heisst nec cum verbo medio nec cum passivo comparari potest, alterum exemplum reperiri vix poterit, quod eodem significationum consensu utatur. Composuerimus enim: er wird gerufen Gaius, er heisst C., er ruft sich C., intelligemus de hujus passivi et medii cognatione non posse cogitari.

Atque hoc eam ob causam fieri non potest, quod primum nullo modo genus medium efficitur, quum subjectum agens ipsum sibi ut objecto in actione opponitur; deinde quod non unumquodque verbum, simulac forma reflexiva affectum est, notionem mediam concepit. Nisi enim notio verbi naturaque aut ea est aut ea effingi potest, ut notioni mediae conveniat, nullo modo fieri potest, ut verbum notione media afficiatur.

Sunt autem mediae Lehrsio auctore, atque etiam formam mediam induere possunt eae verborum notiones, quae

vel animi magnum motum atque affectum;
vel mentis, quasi phantasiae motum;
vel vehementem corporis motum;
vel transitum denotant, qui fit e statu (corporis vel animi) in statum;
vel in quibus de ἐνεργείᾳ quasi quadam cogitatur sensus movente.

Cognatione conjuncta sunt verba impersonalia, de quibus Lehrsius:

„Wir machen hier aufmerksam auf eine Aehnlichkeit des medium mit den impersonalibus. Wir sagen z. B.: es treibt mich in die Ferne, es dürstet mich oder mich dürstet, ohne zugesetztes „es". Dieses „es" ist nun ein unbestimmtes „etwas", was ich in mir fühle, dem ich eine Affektion, die ich in mir wahrnehme, zuschreibe: lat.: misereor oder miseret me. Die Vergangenheit heisst hiervon miseritum, pertaesum est. Also eine Einwirkung, unter der man steht, wird empfunden aber unbestimmt gelassen.

Ac si fieri potuerit ut verbis deponentibus, quae dicuntur, Latinis sive ex ea, qua vulgo utuntur significatione, sive ex sensu principali ea eruatur ac vindicetur notio, quae harum cuidam, quas protulimus medias, conveniat:

primum verborum deponentium significationem mediam indicavisse;
deinde demonstravisse arbitrabimur, verba deponentia Latina cohaerere cum mediis Graecis, quoniam Lehrsius eam notionem, quam esse vult generi medio e mediis Graecis hausit ac repetivit.

Jam vero exemplis nonnullis allatis explicemus, quî cohaereant, quî differant genera passivum et medium.

Verbum activum „cruciare" primo significat: einen kreuzigen, deinde: einen quälen, (ahd. qualjan, queljan, quelan) cujus genus passivum est: gequält werden, genus medium: sich quälen (ahd. quëlan).

Ac si legimus (Merc. 247) „cruciabar cura" et (Casin. 168) „discrucior amore" sane primum de passivo sensu verbi cogitari potest, quum voces „cura, amor" indicent, qua re subjectum crucietur. Verum quum „cura amorque" non extra subjectum, sed in eo versentur, etiam de medio formarum sensu cogitari potest, id quod si malueris, debebis reddere: ich empfinde, befinde mich von Sorge gequält, ich quäle mich in Sorge (hoc est priscum: quilu), in qua re ipse animi affectus spectatur,

neque vero causa, quae cruciatum efficiat. Atque hoc fieri potest eam ob rem, quod verbum „cruciare“ sensu translato illud est, quod notionem mediam concipere possit.

In Pseuduli autem versu (235):

CA. Quid opist? PS. Potin aliam rem ut cures? CA. At... PS. Bat. CA. Crucior.
PS. Cor dura.

nisi de medio sensu non poterit cogitari.

Deinde verbum „gravare“ primum est: „beschweren“, deinde „belästigen“. Ac si Lucretius (I. 253) dicit:

At nitidae surgunt fruges ramique virescunt
Arboribus, crescunt ipsae fetuque gravantur

nisi de passivo sensu non cogitandum est.

In Trinummi autem versu (1172):

Non gravabor: faciam ita ut vis,

ubi verbum translato sensu utitur: sich belästigt fühlen, etwas übel nehmen, de sensu medio tantum. Ac quum verbum „gravare“ ex hoc translato sensu notione media uti possit, non mirabimur hanc ejus significationem latius patuisse et verbum significavisse cum actum, qui ex notione: sich belästigt fühlen, oriatur: ungern thun, ungern geben. Ut Rudente (438):

Quor tu aquam gravare, amabo, quam hostis hosti commodat?

Atque haec sunt verba, quorum tria genera vigent omnia. Quomodo autem haec, quae in horum notione media valent, etiam in eorum verborum notione valere possint, quae media tantum forma induuntur, ex verbis: laetari, congratari, mirari, aliis prorsus intelligitur. De singulis postea dicetur.

Deinde ex iis, quae diximus, forma media etiam eorum verborum explicatur, quae mentis vel phantasiae motum denotant, quippe qui motus nisi in subjecto fieri non possit.

Tum verba, quae corporis motum denotant, eandem rationem sequuntur, quam ea, quae animi motum atque affectum notione amplectuntur.

Si ipse motus praesertim vehemens ac fortis spectatur, de notione media; sin vero movendi causa vel impulsus, qui motum efficiat, spectatur, de notione passiva debet cogitari.

Itaque Lucretianum (I. 281):

et cum mollis aquae fertur natura repente
flumine abundanti . . . .

aut sensu passivo aut medio accipi potest. Si enim dicis: wenn das sanfte Element des Wassers plötzlich durch, oder in übervollem Strome dahingetrieben wird, est passivus; sin: in übervollem Strome dahinstürzt, medius.

Contra versus: Lucretii (I. 421):

nam corpora sunt et inane,
haec in quo sita sunt et qua divera moventur.

I. 290. sic igitur debent venti quoque flamina ferri.

Planti (Mostell. 982).

Non equidem in Aegyptum hinc modo vectus fui
Set etiam in terras solas orasque ultimas
Sum circumvectus:

sensu medio tantum uti videntur.

Mox digna sunt quae illustrentur ea verba, quae transitum denotant, qui e statu fit in statum, ubi, ut ait Lehrsius, der Zustand ausgesprochen wird oder ins Auge fällt.

Quae verborum notiones et in lingua Latina et in Graeca duplici modo effinguntur. Aut forma utuntur, quae exit in: „sco“ (σκω, σχω); (atque haec sunt verba, quae inchoativa dicuntur, quae vero, ut ait Lehrsius, „nicht einen Anfang. sondern ein Werden, eine vor sich gehende Veränderung“ ausdrücken); aut forma media, quam insuper verba inchoativa quaedam induunt.

Atque etiam ex his verbis, quî cohaereant, quî differant genera passivum et medium non male intelligitur.

Sic, ut hoc utar, verbum fieri, cujus infinitivus mediam formam servavit, cum medio tum passivo sensu usurpatur. Passivo est: gemacht werden, qui nimirum causam desiderat, e qua hoc „werden“ oriatur; medio: werden, entstehn, wachsen, vel simile quid, quae notio amplectitur et ipsum actum, qui in subjecto nulla causa impellente vel potius ullius causae impellentis ratione non habita, fiat, et transitum, nempe eum aus dem Nicht-Sein in das Sein.

Sensum passivum perhibet Curculione (316)

Nolo equidem mihi
Fieri ventulum.

Sensum medium Trinummo (935):

Set ubi apsinthium fit ac cunila gallinacea.

Sane utraque notio summâ significationis atque ut ita dicam ultimo ejus exitu atque effectu concinit, verum ortu discrepat.

Usque adhuc simplicem notionem „werden“ contemplati sumus; sunt etiam compositae, quae eaedem a lingua aut forma inchoativa aut media induuntur. Ut notiones: warm-, trocken-, flüssig-, welk-werden; quae corporis motum designant (proficisci); animi (oblivisci, irasci).

Lingua Latina notionem: es wird warm, ut hac utar, multimodis reddit: vocibus: calefit, calescit. Ac si Plautus Captivorum versu (80):

Quasi quom caletur cochleae in occulto latent,

huic notioni formam mediam induit, non mirabimur. Contra: „calet“ est: es ist warm.

Atque idem ait versu Trinummi (243):

Ilico res foras labitur, liquitur

ubi „liquitur“ idem est quod „liquefit“. Contra „liquet“ idem quod „liquidum“ est; „liquat“ idem quod „liquefacit“.

Quî differat verbum medium „mori“ a genere passivo verbi „interficere“ exempli gratia pauli fusius explicemus.

Verbum „mori“ voce: sterben exprimere consuevimus. Verum significat pro forma sua sensu principali: morsch-, mürbe-, welk-werden, siechen, dahinwelken, quem sensum ex versibus Capt. 650. Bacch. 817 cognoscere licet.

Praesens tempus igitur et ea, quae ex eo proveniunt, notant transitum, qui fit e vita in mortem, h. e. todt werden, qui transitus in ipso subjecto fit, nulla causa impellente (cujus quidem rationem habeamus). Contra genus passivum „interfici“ est: getödtet werden, hoc est: durch eine bestimmt ins Auge gefasste Ursache sterben. Nimirum utriusque verbi perfectum tempus significationis effectu atque exitu, ut ita dicam, convenit, quippe quae sit: „todt“ nulla discrimine intercedente: ob jemand dahingesiecht, gestorben, oder getödtet worden ist. Denique etiam nos vocem reflexivam: sich morden, sich tödten effingere possumus, quae nec cum passiva: getödtet werden, nec cum media: sterben, componi potest.

Quodsi Cicero in carmine, quod „de consulatu suo“ inscripsit, (de Divinat I. 11) ait:

aut cum se gravido tremefecit corpore tellus

parum accurate dixisse videtur, quia non est quod indicet, quia nec refert ut [illegible] ipsam se ad movendum impulisse. Dicere debebat: „terra movetur“, etiam: „terra movet“ sensu medio.

Rectissime vero Plautus: (Bacch. 548)

Atque i s e quum frustrant, frustrari alios stolidi existumant

i. e. während sie sich selbst täuschen, glauben sie, dass andere getäuscht werden (vel fortasse: dass andere sich täuschen, sensu medio), quia permagni interest, ut subjectum ipsum sibi ut objecto in actione opponatur. Itaque verbi medii „frustrari“ activam formam, sensu activo praeditam effinxit, atque hac intercedente voce „frustrari“ sensu passivo utitur (quanquam, quod minus placet, haec vox etiam sensu medio accipi potest).

Jam vero ex his quae dixi intellectum esse existimaverim, ea tantum verba notione media uti, quae huic vel illi eorum quos statuimus ordinum ingeri possint. Ac si intellexerimus deponentia Latina his ordinibus ingeri posse, non amplius jam dubitabimus, ea in mediorum verborum numerum revocare.

Eae voces autem, quas Gabelentzius medias esse putavit: ich schlage mich, ich nenne mich, ob eam rem non sunt mediae, quod eis nil inest ejus notionis, quam vis media sibi expostulat.

Verum quî fieri potuerit, ut Gabelentzius parum recte fortasse de his rebus senserit, ex eis, quae prolaturus sum, poterit, opinor, intelligi.

Nam utimur etiam nos genere medio aeque atque eae nationes omnes, quae Ariorum ex lingua et ingenio loquendi ac cogitandi morem moderantur. Verum non semper verba, quae notione media utuntur, ea forma effingimus, e qua notio media extemplo perspiciatur. Nam aut activa tantum forma (ut: werden, erbleichen, trocknen, siechen, erbeben) reddimus, aut ea, ex qua re vera media eorum notio internoscatur. Atque haec forma media efficitur, quum formae activae pronominis personalis accusativum „sich“ adjungimus. Sic vox „s i c h b e t r ü b e n“ est media, cujus praesens tempus est: ich betrübe mich.

Sane haec vox forma reflexiva utitur. Quod vero unumquodque fere verbum eam f o r m a m patiatur, facile intelligitur, quomodo factum sit, ut statim de n o t i o n e m e d i a cogitarent, quum formam reflexivam auribus vel oculis perciperent. Nempe forma notionem mediam inflare non potest, nisi verbum illud est, cui aut notio media naturâ innata sit, aut quod notionem suam sibi innatam ita temperare possit, ut media utatur. Igitur cum verbis, quae forma reflexiva induta inveniuntur cauto opus est atque videndum, num ea forma lingua re vera sensum reflexivum reddi velit, an eo forma utatur, qua notionem mediam reddat.

Quum vero multa verba cum reflexiva tum media et forma et notione uti possint, nonnullis exemplis allatis hanc rem exponamus.

Ac maximam in partem sono vocis reflexivus a medio sensu internoscitur. Si enim graviore sono pronomen premitur, de reflexivo sensu; sin verbum, de medio cogitandum est. Igitur quum in medio sensu a pronomine sonus removeatur, verbum graviore sono prematur, facile intelligitur, pronomen fungi munere tantum adjutorio, quo vis verbi augeatur, ipse actus atque affectus subjecti gravius denotetur.

Itaque si dico: ich fürchte bei dieser Sache m i c h, hoc est: meine eigene Schwäche; ich fürchte bei dieser Sache d i c h, est: deine Leidenschaftlichkeit, et verbum habet sensum transitivum. Sin vero dicam: i c h f ü r c h t e mich, erit: ich bin in furchterregter Stimmung, qui sensus est medius. Vox: ich fürchte nil magni de subjecti affectu indicat.

Deinde item differunt voces: ich bedenke m i c h (meinen Vortheil), ich bedenke d i c h (deinen Vortheil); ich b e d e n k e mich; ich bedenke.

Nota. Etiam dicimus: ich bedenke mir, qui sensus est ethicus. De qua re posthac dicetur.

Tum item: das Pferd scheut mich, scheut dich; scheut sich, hoc est: ist in angstvoller Aufregung. Componas: es wird scheu; neque vero: es wird scheu gemacht.

In primis autem ea linguae Diutiscae verba media sunt conspicua, quae nullum nisi pronominis accusativum patiuntur. Atque in his maxime, quae sit notionis mediae vis ac natura, nobis intelligitur. Sic utimur vocibus: ich graue mich, sehne mich, wundre mich, erdreiste mich, erkühne mich, bedenke mich, bestrebe mich, besinne mich; ich rege mich, spute mich, ranke mich; ich ziere mich, brüste mich, räuspere mich, habe mich, (hoc est aut: ich ziere mich, aut: ich bin in kummervoller Aufregung), quae ex sermone rustico desumi possunt sexcenta. Nam si homines rustici dicunt: das Kind spielt sich (urbani: das Kind spielt), nil volunt, nisi ut indicent, puerum ludendi actu atque affectu adeo teneri, ut toto pectore in lusum incumbat, nil nisi ludum meditetur.

Neque his vocibus eas ingessimus, quae transitum denotant, „qui fit e statu in statum“. Nempe maximam in partem a lingua Diutisca forma media non induuntur, sed aut activa tantum (ut: trocknen, bleichen, siechen) aut vocibus verbo: „werden“ compositis redduntur (ut trocken-, bleich-, welk-werden), quanquam etiam reperiuntur, quae forma media effictae sunt (ut: sich erheben, aliae). Equibus nonnullae, si non ea, qua nunc utimur lingua, at ea, quae prioribus saeculis fuit, forma media conformantur (ut: sich anheben h. e. der Reihe nach aufsteigen, anfangen, quod nos dicimus anheben).

Ac si legimus versu 52, carminis quod „Muspilli“ inscribitur:

ahâ artrucknênt,
muor farswilhit sih

(die Wasser trocknen ein, das Meer verschwillt sich): cum vox: „artrucknênt“ tum: farswilhit sih (ob eloquendi varietatem dicta) voces mediae sunt putandae.

Sunt quaedam verba activa intransitiva quibus facile verba causativa consociantur. Ac maximam quidem in partem cum intransitiva tum causativa una eademque forma utuntur, ut ruere: stürzen, et: stürzen machen. Raro tantum forma disjuncta sunt, ut pendêre hangen, pendere hängen, henken.

Etiam verbis mediis intransitivis causativa adjunguntur, quae fere semper forma activa induta sunt, ut verbo „labi“ additur: labare; laetari, laetare; expergisci, expergefacere: verbo ὀργίζεσθαι, ὀργίζειν; ἵζεσθαι, ἵζειν: verbo: sinken, sive: sich senken, senken. Pauca tantum verba media Latina significationem intransitivam a causativa formâ non disjungunt, e quibus hic verbi, „morari“ mentionem facio, quod et: weilen, sich aufhalten significat, ut:

Glor. 946.

Ut adcurate et commode hoc quod agundumst exequamur:
Ne quid, ubi miles venerit, titubetur. AC. Tu morare.

Rud 447.

Quid sacerdoti me dicam [esse] hic moratam tam diu?

et: weilen machen, aufhalten, ut:

Glor. 1300. PL. Philocomasium quaerito:
A matre illius venio, si iturast, eat.
Omnis moratur: navem cupimus solvere.

Asinar. 413.

Quor non venisti, ut jusseram, in tonstrinam?
LI. Hic me moratust.

Jam vero verbum „ruere“, ut hoc utar, simul ac significationem causativam concepit, ex hac etiam genere passivo uti potest, id quod idem omnibus eis verbis activis accidit, quae causativa e verbis mediis intransitivis provenerunt, ut: labi gleiten, labare gleiten machen, labari gleiten gemacht werden, in quibus quidem medium ab activo et passivo genere formâ differt, id quod idem vocibus: laetari (med.), laetare, laetari (pass.) non evenit, in quibus passivum a medio genere non nisi sensu internoscitur. Verbum „morari“ autem vel tria genera omnia habet formâ concinentia, quoniam ex sensu causativo, qui eadem forma media utitur, etiam genus passivum habere potest.

Ut: Menaechm. 326.

Jam ego haec madebunt, faxo, nil morabitur,

cui versui fortasse adjunxeris versum

Gloriosi 1305.

PA. Eo. PL. Quaeso hercle propera. PY. Non morabitur.

Sensum causativum habet etiam Bacch. versu (340).

Immo, en, tantisper nunquam te morabitur,
Quin habeas illut, quo die illuc veneris.

Quî vero differant inter se notiones trium verbi generum exemplo allato paulo fusius explicemus.

Vox „laetari“ media, ut hac utar est: sich in freudiger Aufregung empfinden, befinden; vel: von andern darin befindlich wahrgenommen werden, sich freuen et denotat subjecti actum et affectum, cujus causa et impulsus re vera exstans non spectatur. Sicut dicas Diutisce: ich empfinde, befinde mich heute in so freudiger Stimmung und weiss mir eigentlich keinen Grund dafür. Laetare est: froh machen, laetari (genus passivum): durch eine bestimmt ins Auge gefasste Ursache froh gemacht werden.

Atque ex verbis Diutiscis, medio: sinken, causativo: senken (cujus etiam forma media sensu medio affecta „sich senken effingitur, quae idem significat quod „sinken“) idem intelligitur. Nâm, es sinkt eine Sache sive senkt sich transitu quodam, qui in ipsa fit e alto in profundum; sed sie wird gesenkt sive sinken gemacht a persona vel re quadam, quae ab ipsa cogitatur disjuncta.

Quo eodem ut ita dicam causalitatis nexu conjuncta sunt: verba: schwimmen et schwemmen; hangen et hängen (henken), neque vero sunt verba: schwimmen et hangen media, quum neque aut schwimmen aut hangen (das einfache Sein in einem Zustande bezeichnend) sensu medio uti possint.

Quam ob rem recte Plautus (Trin. 536.)

Alii exulatum abierunt, alii emortui,
Alii se suspendere.

(Altera pars propediem edetur.)